PROGRAMMA
Quo
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOACHIMUS LUTKEMAN,
Theol. Licentiatus; Ecclesiastes & Professor Physices Metaphysicesq; Ordinarius,
ad
piam & devotam
RESURRECTIONIS DOMINICÆ LÆTITIAM,
Cives Academicos, & maximè Studiosam juventutem invitat & exhortatur.



ROSTOCHI,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLVII.

47.


Reaturæ universæ ut sociæ fuerunt passionis Dominicæ, ita etiam lætatæ sunt in resurrectione; ut non sine re simplices animos occupaverit communis illa de orientis nec ō occidentis solis tripudio, quod in festivitate Paschatos observant, opinio. Causa tum doloris tum jubili est amor creaturæ puræ, plus diligantis bonum creatoris quam proprium. Convenit id cum scriptura, quæ Creaturis (Rom. 8,19.) ἀποκαραδοκίαν tribuit, dū cū gemitibus expetunt & in spe expectant revelationem filiorum Dei, & ἐλευθερίαν τῆς δόξης. Quid ni igitur exultassent, accepto liberationis signo ac pignore, resurrectione puta Salvatoris Domini? uti autē in futura revelatione, gloria, quæ expectatur, non creaturarum erit, sed hominis; sic & in resurrectione Domini nostri Jesu Christi non creaturis salus oritur, sed nobis hominibus. Quid ergo agis? O Homo! Creatura dolet & lætatur cum creatore dolente & exultante; tune solus manebis immobilis? Submerso pharaone, exultat Miriam soror inclyti Israelitarum Ducis & legislatoris Mosis. (Exod. 15,20.21.) *Cantate Domino; gloriosè enim exaltatus est. Equum & sessorem ejus dejecit in mare.* Hæc Miriamis exultatio nostra sit, Christo pertranseunte mare passionis, superato & submerso Diabolo, ejusq;, quod in peccatis est, robore fracto. In corporali vel mise-

ria



ria vel jucunditate facilè vel triſtamur vel lætamur. In ſpiritualibus, monſtrum! non ita facilè. Audimus ſæpè lamentabiles patientis Chriſti dolores, ſed doloris non experimur motum. Audimus gaudia reſurrectionis, ſed abſq; ſenſu gaudij. Quid mirum? caro ſumus, non ſpiritus. Neq; enim hic vel dolere vel lætari in tuo arbitrio eſt, abſq; ſingulari aſpirantis Numinis gratia. Piis ergo meditationibus & precibus excitandus eſt animus. Placet hac vice devotionem animæ piæ excitare *Leonis* conſideratione *vincentis*. In paſſionum toleratia Benedictus Dei filius Jeſus Chriſtus ſe præſtitit agnum, juxta normam primæ concionis in N. T. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Agnus Dei fuit, quia ipſe Deus, Deoq; oblatus in cruce, ut victima pro peccatis mundi. Hæc cauſa fuit, quæ de cœlo Deum traxit in terram eumq; carnem fecit. Hoc opus, agni paſchalis ritib9 & omnibus omnino ſacrificiis præfiguratum. Aſt defunctus hac functione, rediit ex morte Agnus; rediit ut Leo *Vicit enim Leo de tribu Juda* (Apoc. 5, 5. Gen. 49, 9.) Cum copiis infernalibus, peccato, morte, diabolo, manus proſperè conſeruit; abſorptus ut agn9, victor prodiit ut Leo. Signum victoriæ reſurrectio eſt. Quod ſi non deſtruxiſſet regnum peccati, manſiſſet ſub vinculis mortis & inferni, nosq; juxtà cũ illo. Reſuſcitatus autem victorem ſe demonſtravit. Re-

ſuſcitatus enim eſt propter juſtitiam noſtram. (Rom 4. v. ult.) Regum antea obtinebant *mors, Diabolus, peccatum.* Gloria Triumphatori. Vicit Leo. Regnat per peccatum *mors*; aculeus mortis peccatum eſt (1. Cor. 15, 56.) peccatum corrumpit hominem, ex cortuptione vermis naſcitur, vermis letalis, qui morſu dirisq; cruciatibus vexat conſcientiam. Verum per Jeſum Chtiſtum, qui mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſuſcitatꝰ propter juſtitiam noſtram, abſorpta mors eſt in victoriâ. Ubi tuâ, ô mors, victoriâ? ubi tuus aculeus? Mors corporis, iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, non eſt mors, ſed ipſa in Chriſto victoria. *Diabolus* eſt, cui mortis robur rradebatur (Hebr. 2, 14.) Hic carnifex eſt & tyrannus in conſcientia. Perpende homo, hoſtis tui truculentiam. Cui nihil in te juris eſt, jus ſibi quærit & acquirit per peccatum: ad peccatum virulentis ſuis ſuggeſtionibus incitar; peccato commiſſo, dominium ſibi in anima vendicat, excæcat, imperat, ducit, torquet. Gloria ſit crucifixo, *per mortem abolevit eum, penes quem eſt mortis robur, hoc eſt, diabolum; & liberos reddidit, quotquot metu mortis per omnem vitam damnates erant ſervitutis* (Hebr. 2, 14. 15.) Crucifixus Ieſus ſpolia detraxit forti, occidit homicidam, Cerberum ligatū ſibi ſubjecit. Circundediſtis eum Canes, cinxiſtis eum robuſti juvenci Baſan, dilataſti contra eum os tuum, Leo rugiens

& ra-

& rapiens; vibrastis eũ cornibus Unicornes, laniastis eũ ut agnũ imbecillẽ Malefici. Sed vicit crucifixus, vicit ut Leo; Ereptus est ex judicio & coarctatione, quis generationem ejus enarrabit? elevatus est & exaltatus valdè in sæculorum sæcula. *Caro* jure, quod in generatione obtinuit, regnat in nobis, qui venditi sumus sub peccato. Homo instar arboris venenatæ; protrudit opera mortifera, estq; filius iræ & perditionis. Per Crucifixum Jesum vincitur caro; nulla enim damnatio in iis qui sunt in Christo Jesu (Rom. 8, 1.) Liberati à peccatorum reatu, vivimus non ad ductum Carnis sed Spiritus. Vetus homo cum Christo est crucifixus (Rom. 6, 6) Equidẽ ut Agar sæpe heræ repugnat caro, subijcitur tãen virtute Christi. Cantamus itaq; Victori Domino Jesu Christo: gloria & triumphus illi, qui redit ex victoria fortium. In quibus regnabat caro, mors, Diabolus, in illis regnat Christus, justitia, vita. Pharao omnem suam potentiam in perniciem filiorum Dei coegit; sed in mare dejectus & submersus est. Immanis Goliathus probro affecit aciem Isralitarum, sed surrexit novus David, qui Goliathum vicit non armis hominum, sed virtute Dei, parvus & fortis, agnus & Leo. Josua ductis civibus suis per Iordanum, tubarum sonitu Jerichonis prostravit mœnia. Leo de tribu Juda, sanguinis lavacro nos mundavit, suoq; rugitu di-

 ruit

ruit in cordibus nostris propugnacula sathanæ. Impletum jam est quod per Hoseam vatem dictum est. *Ero mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* (c. 13,14) Venenatus aer, pestis tempore attrahitur quidem, & quasi absorbetur, sed cum interitu attrahentis. Venenum sub exigua quantitate ingentem vim exercet; & Christus sub specie imbecillis agni, magna effecit, ut Leo. Gloria & triumphus illi, qui redit ex victoriâ fortium. Nemo erat, vel inter potentissimos Angelos, satis potens ad destruendum regnum Diaboli. Tibi Crucifixe, tibi hæc gloria reservata est. Vermis eras; & non homo, vicisti tamen ut Leo, fortior Simsone, qui vindicaturus impotentem hostium superbiam; moriebatur, inquit, cum philistæis anima mea. Servator noster non tantum lubens mortem subiit, interfecturus principes tenebrarum; sed & vivus rediit. Felicior Daniele, qui inter leones à lanienâ servatus, ex morte vivus eductus est; Christus Draconem insuper sibi subiecit, captivumq; duxit. Vicit autem Leo de tribu Iuda, novo planè modo. Si ignoras, dicam: passꝰ est, hosti se subjecit, morti se tradidit. Sic agnus factus, fit Leo. Typum observabis in Davide, qui Goliathum aggrediebatur, & vincebat, cum armaturam abjiciebat virilem: *Tu venis*, aiens *ad me cum gladio, & cum hasta, & cum humerali: ego vero venio ad te in nomine Jehovæ exercituum.* (1 Sam. 17,46.)

17, 46.) Incepit victoria eum illa crucifixi voce: *Consummatum est.* Morte enim absorptus, morti factus est venenum, postquam inpleverat omnia, quæ facere atq; pati debebat, factus patri obediens usq; ad mortem. per resurrectionem autem manifestata, demum est hæc ipsa victoria. Sic vicit Leo de tribu Juda. Gloria & triumphus vincenti. *Absorpta mors ad victoriam. Ubi tua, ô mors, victoria? Ubi tuus, O inferne, aculeus? Deo gratiæ, qui dat nobis Victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* (1. Cor. 15, 55.) *Servator noster mortem abolevit & incorruptibilitatem in lucem produxit.* (2. Timoth. *1, 10*) Habes in hac victoria asylum, pia anima. victoria nostra est. Qui nostri causa pugnavit, victoriã nobis peperit. Esto, graviter nos perturbavit Diabolus; in Christo gaudinm capere licet satis magnum. Iniquè nobiscum egit Diabolus, seduxit nos imposteor, & à Deo omnis bonitatis fonte separavit, sedem Dei in nobis destruxit, atq; sub jugum infernale adduxit; ut cruci principem vitæ nostra affigeret culpa effecit. Verum lætitiam capiamus in Christo. Haman Judæomastix mandatum mortis producebat; sui infortunii ignarus. Sathan homine in mortis reatum præcipitato, sibi ipsi infortunium creavit. Nam *semen mulieris contrivit caput serpentis.* Josua Dei populum ad requiem ducebat, cum incolæ Cananæi adventus novi hospitis perculsi hærebant. Leo de tribu Juda tremorem injecit principi mundi, ducturus nos in hæreditatem Dei. Josua, hoste victo, distribuit bona terrena; Christ⁹ cælestia; sicuti & cælestis est illa, ad quam nos ducit, requies. Nihil est, quod nos perterrefaciat. Omnia in potestate sunt Victoris, nostri Servatoris. Todt / Sünd / Teuffel / Leben / vnd Gnad / alles iu seinen Händen hat / Er kan erretten / alle die zu jhm tretten. Iam Daniel tutus sedet inter Leones. Iam cum Davide & Simsone possumus percutere & discer-

pere

pere ursum & Leonem? Quid expavescimus? Iehova, qui eripuit nos à leone & ab urso, à morte & Diabolo, idem eripiet nos è manu omnium nobis adversantium. Adhæreamus, Fratres, Servatori nostro, ut cum ipso & per ipsum vincamus. Vinces autem, si ad similitudinem ejus fies Agnus-leo; Agnus in patiendo, Leo in robore. Certandum est; Nam non nisi certanti corona datur. Certat autem optimè, qui Deo se subijcit maximè. Hostis perniciosissimus in te est, Christiane, natura tua prava & cupiditas. Regnum Diaboli in te adhuc est destruendum. Es miles Iesu Christi, & hostis Diaboli & carnis vi fæderis in baptismo initi. Præstabis te igitur bonum militem Iesu Christi. Impotentissimi & miserrimi, qui pro carne & Diabolo contra Servatorem & spiritum Iesu Christi in se pugnant. Hoc considerate imprimis vos, studiosi juvenes, in hoc resurrectionis Dominicæ jubilo, & discite vincere naturæ vestræ pravitatem in robore Victoris Iesu Christi. Surge itaq; in nobis crucifixe, & vince. Nos quidem certabimus, sed tuo tantum robore nitimur. Tu Leo victor. Vince in nobis, vince peccatum, vince mortem, vince Diabolum. Quid nobis prodest tua victoria, si nulla est in nobis? In nobis vincas necesse est, & nos in te. Tua vectoria freti non horrescimus, & superata morte, tanquã hoste ultimo, in gloriam tuam hilari animo intrabimus. Triumphus & gloria nostro Servatori. *Vox cantus & salutis est in tentoriis justorum:* (Psalm. *118, 15.*) *Dextra Jehovæ agit strenue, dextra Jehovæ elata est, dextra Jehovæ agit strenuè. Castigat me Dominus, sed morti non tradidit me. Non morriar sed vivam, ut enarrem opera Domini.* P. P. Rostochij die paschatos, Anno 1647.

(o)